# AD PAULUM 4 PONTIFICEM MAXIMUM, ORATIO ROMAE HABITA, ANNO PRIMO SUI...

Onofrio Testa

MICHAELI ANGELO A' TVRRI

*Epiſcopo Cineris digniſſimo & aulæ Pōtificæ Magiſtro,*

*AEnophrius Teſta Neapolitanus.* S.

ET *ſi nihil erat omnino quod in præſentia ad te ſcriberem, Antiſtes probatiſſime, Tamen cum mihi maxime curæ ſit ut intelligas me tui memoriam conſtātiſſimè ſeruare: feci ut nullo alio propoſito ad ſcribendum argumento, has ad te literas darem. Hæc eſt enim in me uoluntas, ut diutius imò ſemper inter nos noſtram ſeruemus amicitiam, camq; Gordini nodi inſtar inſolubilem retineamus. Præſertim cum is in me Romæ fueris & ita de me meritus ſis tua liberalitate, ut ingratus meritò exiſtimandus ſim, ni te uel uita mea chariorem habeam. Itaq; conſpicatus ego quantum in te probitas pellucet, & quo me proſequaris amore: non potui facere ob tuam inſignem humanitatē, atq; animi præſtantiam, quam noſter Auguſtinus Campanilius probus iuuenis & eruditus de tuis uirtutibus uberrimè mihi aperuit. Quin quam ijs ante diebus orationem Romæ (te auſpice) de ſummi Pontificis laudibus habui, eam ad non nullorum amicorum preces in lucem ederem, & tibi uiro omni uirtute atq; ſingulari doctrina prædito nuncuparem. Idq; adeo noſtra mihi ſuaſit amicitia qua omnium rerum quas ad beatæ uitæ poſſeſſionem ſapientia comparauerit, nihil maius ſit, nihil deniq; dulcius. Qua propter te ſupplex oro, hoc exiguum munus omni complectaris amore, ut meum ingenium ad memoriam tuæ ſapientiæ excitatum agnoſcas. Vtq; alter Mecænas literarum Chypeus ſis noſtri memor, & tuas ſacras manus oſculatus me tuæ dignitati humillime commendo. Vale.*

Neap. pridie nonas Octobris 1555.

XENOCRATES Philoſophus ille Beatiſſime Pater, cum ſumma eſſet à natura triſtitia & ſeueritate affectus, & non nulla amœna ſuauiaq; in lucem edidiſſet, ridentibus & admirantibus auditoribus cunctis: Tum Plato quid admiramini inquit? Nonne inter carduos & urticas lilia plærunq; & roſas exoriri uidetis? Id mihi profecto contingere hodie uidetur, cum ad conſpectum tuum & tot præſtantiſſimorum Patrum in hunc locum uenerim, ſermonem de tuis laudibus habiturus: quanuis multum abeſt mea à Xenocratis ratione. Nam ille licet triſtis & auſterus, ſententiam tamen ſuam lepòre quodam atq; grauiſſimis numeris luculenter condiebat. Mihi uero nulla adeſt dicendi facultas qua tuas illuſtrare me poſſe confidam. Verum tamen ad hoc dicendi munus non meo ſolum inductus ſum iuditio: ſed ēt amicorum ſuaſu & approbatione, ut tuæ ſapientiæ lumen propius intuerer: qua nihil à Dijs immortalibus uberius, nihil præſtabilius hominum uitæ inditum eſt: quam ſemper à pueritia tuo in ſinu fouiſti, & quæ tutius ſibi hoſpitium quam tuum ſacrum pectus ijs præſertim temporibus parare nequiuerit, effeceritq; ut Neapoli proficiſcens nullos ardentis ſirij æſtus, nulla imminentia timuerim diſcrimina, ut in tuam incumbere laudem toto pectore ualerem, ac demum tuos ſacratiſſimos pedes deoſcularer. Verum unde ego potiſſimum exordiar eum tot res mihi dicenti undiq; occurrant, ut penè tuarum uirtutum pelago me prius obrutum uideam, quam illud dubitanter fuerim ingreſſus. Sed quanuis me huius loci amplitudo & maieſtas à dicendo deterret plurimum, uerentem non ſatis digna ueſtra expectatione futura ſit mea oratio: Tamen tua ſingularis facilitas Beatiſſime Pater & ſumma in audiendo benignitas ita me reficit ac recreát, ut iam cum aliqua ſpe & animi confirmatione ingredi in tuas laudes non dubitem. Itaq; te hominem non humanum, ſed diuinitus demiſſum potius dicere audeo. Nam ecce inte Prudentia effulget pientiſſime Pater, qua ſemper cæteris omnibus facilè præſtitiſti, quam laudem pauci hac

ſtenus ſummis laboribus ac uigilijs ſunt aſſecuti. Cum & Plato ut eam aſſequeretur plurimas orbis partes peragrauerit, & meritò, cum eiuſmodi ea fermè ſit, ſine qua nulla in terris regna conſiſtere queunt. Nam & Lycurgus Lacedæmonis, & Numa Põpilius Romæ, clariſſimis ciuitatibus inſtituendis, populiſq; gubernandis tanto prudentiæ lumine uſi ſunt, ut pro Dijs habiti fuerint. Sed quæ de tui præcellẽtis animi magnitudine & præſtantia in medium afferam? Cuius factis gaudet patria, gloriantur ciues Romani, qui tuis conſilijs potiſſimè reguntur. Vbi enim prudentia, ibi uirtus animi, ibi conſtantia, & fortitudo eſt. Vt non ab re Cyrus Rex ſumma cum ratione dixerit, ei publicarum rerum curam & imperij adminiſtrationem commictendam, qui, quibus imperat præſtantior ac prudentior cæteris habeatur. Quo circa ſummo cum conſilio Ampliſſimi Cardinales iure effecerunt, qui te prudentiſſimum diuino afflante ſpiritu in hac Pontificia Petri ſede collocarunt. Hinc eſt quod uſq; ad extremas mundi partes ab omnibus probabiliter, flos Italiæ, firmamentum Eccleſiæ, ornamentum Fidei nuncuperis. Et ego tantis tuæ prudentiæ radijs excitatus, te iam eius alumnum aſſerere ueriſſimè dixerim, quæ tantopere tuis in actibus relucet, ut omne ſeculum de tua ingenij uirtute loquatur, & fidem faciat. Sed non minus te Iuſtitia comitatur Clementiſſime Pater, cuius imago ſub trutinæ gentilitio inſigni à tua familia ubiq; demonſtratur: qua tantum effulges ut neq; Heſperus, neq; Lucifer tot cum radijs eluceſcat, quot hodie tu celeberrimo hoc in conſeſſu decoratus exiſtis. Vt te alterum Ariſtidem Athenienſem è cœlo remigraſſe iure pronuntiare poſſimus, qui ob iuſtitiæ perpetuum ſtudium, quo ille ſummopere honoratus eſt, ab uniuerſa græcia cognomen iuſti meritò habere meruerit. Felix ergo Iuſtitiæ uirtus, quæ tantopere ſummæ ac diuinæ pietati placet. Sed cum Iuſtitia pax ſit populorum, gaudium hominum, tranquillitas mentis, terræ fecunditas, & tandem ſpes futuræ beatitudinis. Te quidem meritò Alexandro Romanorum Imperatori Principi optimo comparare & poſſumus & debemus, qui nullam unquã ſolitus eſt ſancire legem, neq; conſtitutionem aliquam, niſi prius uiginti ui-

uiros iuriſconſultiſſimos in conſilium adhibuiſſet. Nec iniuria ſacroſanctã tuam dignitatem ſummi qui præceſſerunt Pontifices rebus magnis ſemper ac arduis præfecerunt. Nam ijs nota erat probitas tua, nota ſapientia, nota iuſtitia, quem ſcirent ad res iudicandas & decernendas nulla alia re quam æquitate duce quæque maxima, ac difficilia diligentiſſimè compoſiturum. Sed cum hac uirtute cæteris longe præſtiteris qui iuſtitiæ nomen meruerũt: Tum fortitudine ita præcelluiſti indulgentiſſime Pater, ut aduerſus omnes difficultates te inuictum ubicũq; præbueris & nomen honeſti tibi uſq; quaq; uendicaueris. Cui uirtuti ac laudi quot honores, quot munera ab Imperatoribus & regibus ſtatuta fuerint Teſtes ſunt Coronæ militares, Haſtæ, Torques, Armillæ, Statuæ, Trophæa, Triumphi, & alia huiuſmodi multa. Sed quoniam Fortitudo & corporis & animi uiribus cõſtat, tu certè animi fortitudinem omnibus rebus prætuliſti, ac tanto tu cæteris uiris fortibus meritò es præferendus, quanto animus ipſo corpore præſtantior exiſtimatur. Nam quid dicam qua animi firmitate, quaue conſtantia aduerſam ſemper fortunam pertuleris? Et in rebus honeſtis, ut nulla unq̃; pericula, nullas unq̃; principum minas pertimueris. Adde quod pro Fide Catholica & Religione noſtra maximus ſemper propugnator, & defenſor acerrimus extitiſti, ut nequiſſimi noſtræ religionis hoſtes, nullum æque hominem ac te, tuumq; iudicium uereantur. Cuius ſapientiam, & probitatem, & aduerſus ſuos conatus inuictam fortitudinem ſenſerunt. Cuius rei maximum teſtimonium eſt, quod non ſolum aduerſus eos uerbis, ſed exemplis ẽt præſtantibus contendiſti. Nam ordinem hunc Religioſorum ipſe inſtituiſti, quos de tuo nomine uocari uolueris, ut oſtenderes te ad fidem Chriſti ſuſtentandã præſentanea remedia, & munitiſſima propugnacula adhibuiſſe. Et quidem tu à teneris annis in hanc uſq; prouectam ætatem, ad iſtam inuictam fortitudinem omni diligentia & induſtria animum applicuiſti tuum, & ita eo prouectus es, ut nulla te pericula pro Chriſtianæ Reipublicæ quiete & pace, pro decore ueræ nobilitatis perterreant. Cui ſi uitam finire pro Chriſti fide contingat, neminem fortius, animoſiuſue mortis diſcrimen ſubiturum

crediderim. Quæ quidem tuæ ſanctitatis præclariſſima munimenta nulla unq; delebit obliuio, quoniam ea firmata ſunt ad memoriam hominum ſempiternam. De tui uero animi moderatione ſanctiſſime Pater, ſi pro dignitate uerba facere me poſſe ſperarem, ineptus profecto ſim & mearũ uiriũ improbus æſtimator. Quis enim tanta inſignitus eloquentia ac ingenio polslet, ut uerbis & mente quoq; id aſſequi ſe poſſe confidat? Ego uero ut huic ẽt parti ſatis faciam, quoniam ſic propoſitus ordo poſtulat, non prætermittam: Qua in omnibus tuis actionibus temperantia ſemper uſus fueris, quæ adeo inte uiguit, ut non inferior Ageſilao ſis, q̃ propter hanc uirtutem ab omnibus ſummopere diligebatur. Quamobrem non una laude Chriſtianorũ protector prudentiſſime dignus es, quod ita uitam peragas, ut nihil timeas intemperantiæ inſidias: ita eam animo tranquillo tuo, tuiſq; caſtigatis moribus perpendis: Vt Magni Patriarchæ Abraæ animi moderationem legimus, cuius ueſtigia fueris immitatus, q cum ĩ Ægyptum profectus eſſet, homo peregrinus & alienæ legis cultor, & cum ſacerdotibus de arcanis cœli collocutus, & de exordio mundi, tanto affectus eſt honore, ut maxima in ueneratione ſit à principibus habitus. Quòd non immeritò Pythagoras ingenuè ac perſpicuè iudicauit, inter uirtutes omnes habere temperantiam, præcipue in ſalubritate locum atq; unà ea tum priuatim, tum publicè humanam ſocietatem coaleſcere ac uigere. Nam hæc eſt illa Temperantia quam ſemper inte omnes maximè admirati ſunt, ac deinceps multo maximè admirabuntur: præſertim cum ſobrietate, Pudicitia, Moderatione, & honeſtate illa fuerit ſemper inte coniuncta. Quæ uirtutes eximie Animum tuum Clarum, Nitidum, & Purum reddiderunt. Pudicitia etenim eſt exaltatio humilium, augmentum omnis pulchritudinis, Decus Religionis, ac ſanctorum omnium amica; Ex hac preſtantiſſima uirtute pax oritur, quæ mentis eſt ſerenitas, cordis ſimplicitas, charitatis conſortium. Et quidem meritò inte illud diui Hieronymi dictũ cõuenit (qui dicere ſolitus eſt) Iuſti & fortis uiri eſt nec aduerſis frangi, nec proſperis ſubleuari, ſed in utroq; eſſe moderatum. Itaq; maxima laude digni ſunt praſtantiſſimi Cardinales, qui ſanctitatem

*tuam ad tantam dignitatem euexerunt, cum te eſſe intelligebant qui uicem Chriſti interris gerere digniſſimus eſſes, ut quemadmodum Roma ſemper orbis caput iure eſtimata fuerit. Sic tu in ea ciuitate poteſtatem gereres, qua maior interris nulla reperitur. Inclyta ergo Romana urbs, urbium omnium Regina unà cum ſua Parthenope quæ lilium charæ fidei ſuo grèmio ſu- ſceptum Romæ poſtea tradidit educandum, ut aliquando orbem regeret, ac priſtinæ integritati atq; candori noſtrum hoc deformatum ſeculum reſti- tueret ac illuſtraret, omni ergo egregio hodie cultu & ornatu lætiſſimam uiſentium oculis ſe Roma oſtendat: ac meritò geſtiendo plaudat. Peramæ- nus inſuper Tyberis Nectar ac Ambroſiam ripas ſuperegreſſus effundat, ac uariæ circum ſupraq; aſſuetæ uolucres cantu, & lætitia aërem demulce- ant: Et tandem aureis undiq; flauus arenis in mare lætiſſimus prorumpat. Sebetus quoq; ſuis pulcherrimis comitatus Nymphis lac atq; mel indèſinen- ter effluat & lætetur. Diui quoq; Petri iam demerſa cymba immortaliter gaudeat, cui diuinitus datus es Vicarius, qui ipſam è ſyrtibus, è ſcopulis ex undis tot tempeſtatibus, quibus circum quaque olim uexabatur tot inter mon ſtra latrantia eriperes, ac illam tutiſſimo in lictore collocares. Namq; hic, hic certè ille erit, qui illam adeo neauiter reget ac gubernabit, ut pace aliorum Pontificum dixerim, cæteri nunquam antea æquè, ſapienter, ac moderatè re xerint & protexerint: Vnde mille illam lauris oleis mirtis, ac mille indicis gemmis coronabimus: Et tandem relatam inter ſydera ipſam contuebimur. Tanta deniq; hilaritas publica ac uniuerſa letitia mortales tenent omnes, ut tua de ſantitate Ampliſſime Paule immenſam ſpem, atq; optimam expecta- tionem conceperint: ut nunq̃; ante alias ita erecti ac recreati fuerint. Faxit igitur Deus optimus maximus ut tuam pontificiam dignitatem incolumem diu nobis cõſeruet ac foueat ad uniuerſi orbis cõmodũ & ornamentũ Dixi.*

## IO: FRANCISCI LOMBARDI NEAPOLItani decaſtichon ad PAVLVM Quartum Pontificem Maximum.

Sancte Pater, Chriſti curæ eſt cui paſcua, lætus
  AEnophrij exiguas accipe primitias.
Quas non deſpicias, hilari ſed ſuſcipe uultu
  Vt deinceps idem det tibi magna libens.
Nam magnis uoluiſſe ſat eſt, laudanda uoluntas
  Omnibus eſt rebus, uictima grata Deo.
Cor Deus à nobis quærit: cor quærere debes
  Alter qui in terris diceris eſſe Deus.
Viue igitur Fidei requies placidiſſima: uiue
  Hæreſeon maſtyx: uiue columna Dei.

### Eiuſdem tetraſtichon græcanicum ad uniuerſæ Eccleſiæ ſtatũ.

πάυλος σοὶ ἔσαι Εκκλησία παῦλα, πεσοῦνται
  αἰγίδι οὗ λουθὴρ, κ᾽ἁρετικῶν στρατιαί.
(εἰρήνη γεννηθήτω σοῦ καρπεῖ, πλῆθος
  σοῦ πύργοις) ἐθύμως νῦν περὶ σοῦ λέγεται.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Τέλος.